

*Secunda
dubitatio.*

sistentiæ, & proprium eius formalem effectum recipere non requireretur vnio aliqua distincta ab humanitate, & subsistentia creata, ergo vt humanitas vniatur Verbo, non requiritur vnio superaddita; sicut enim absque vnione superaddita effectum recipere potest propriæ subsistentiæ, sic recipere potest formalem effectum diuinæ. Probatur consequentia, si subsistentia Verbi totam contineat perfectionem subsistentiæ creatæ, tam potest immediatè se ipsa vniri humanitati, quam subsistentia creata, sed continet totam perfectionem huius subsistentiæ creatæ, ergo æquè vniri immediatè potest.

*Tertia
dubitatio.*

Tertiò, tunc humanitas sufficienter est vnita Verbo, quãdo est in Verbo, subsistit in Verbo, & ab eo pendet, sed sine vnione superaddita humanitas subsistit in Verbo, & ab eo pèdet, quod probò, per id formaliter humanitas subsistit, quod est formaliter subsistentia, sed Verbum est se ipso formaliter subsistentia, ergo per solum Verbum humanitas formaliter est subsistens, non autem per vnionem superadditam.

*Quarta
dubitatio.*

Quartò, si detur vnio media inter Verbum & humanitatem, humanitas non erit immediatè vnita Verbo, quod enim vnitur mediate alio non vnitur immediatè.

Quinta.

Quintò, si necessaria est vnio intrinseca humanitati vt illa vniatur intrinsecè, requiritur etiam ex parte Verbi vnio superaddita Verbo, quia tam est verum dicere quod Verbum est intrinsecè vnium humanitati, quam est verum quod humanitas est intrinsecè vnita Verbo: non admittitur autem vnio vlla ex parte Verbi, ergo neque requiritur vnio distincta ex parte humanitatis.

*Conclusio
affirma-
tiua.*

Dico primò, vnio hypostatica est modalis entitas humanitati superaddita, neque dici potest esse connotatio dumtaxat & formalitas. Ita tenent omnes Theologi qui admittunt naturalem vnionem distinctam in composito Physico, sed rationes eorum plerumque inefficaces sunt, quia videntur probare distinctionem vbiocationis, durationis, & relationis, quibus omiſsis.

*Ratio
vniuer-
sali.*

Ratio vnica & vulgaris sit illa quam efficaciter vrgent Vasques. Lessius & alij, diciturque Ochamus ea conuictus mutasse sententiam, sic autem habet, implicat vt duo extrema contradictoria, quæ non possunt de aliquo simul verificari, verificentur de illo successiuè, quin sit facta mutatio alicubi; sed de hac humanitate vera sunt duo contradictoria successiuè, prius enim illa erat non vnita, deinde est vnita; ergo necesse est vt aliqua noua mutatio facta sit: sed nulla potest intelligi mutatio noua si non sit facta vnio realis noua, ergo noua vnio realis facta est. Maior euidentis est, quia vt aliquid de altero affirmari possit de nouo, quod non poterat prius affirmari, sed negabatur, debet esse ratio aliqua non huius affirmationis quæ non erat antè; alioqui si non sit ratio vlla noua non magis verè affirmabitur quam antè: v.g. paries qui verè negatur esse albus nunquam verè affirmari poterit esse albus, nisi accedat ei albedo. A priori autem ratio est, quia implicat vt noua denominatio formalis alicui conueniat, sine noua forma reali, denominationes enim formales, sunt enunciationes mentales de rebus vt sunt in se ipsis si ergo adsit noua denominatio debebit adesse res aliqua noua quam enunciet, imò denominatio obiectiua noua est forma noua. At qui denominatio humanitatis vnita est noua denominatio, ergo illa est forma noua.

Respondent aduersarij primò, concedendo quod

Tom. I I.

duo extrema contradictoria non possunt prædicari de aliqua re successiuè nisi fiat aliqua mutatio vel realis vel virtualis, quæ scilicet æquiualeat mutationi reali. Reperiri autem hinc mutationè aliquam sine vnione superaddita, non quidem formalem, sed virtuales, quatenus scilicet Dei Decretum, quo fit humanitas in Verbo, est virtualiter diuersum à Decreto quo fieret humanitas extra Verbum. Sic enim explicari necessariò debet vbi, & duratio; potuit enim Petrus qui creatur hodie Lugduni, creati heri Parisiis per eandem actionè quæ creatur Lugduni, non esset autem vlla hinc mutatio nisi Dei Decretum nouum virtualiter.

*Primum
enasis
negan-
tium.*

Sed contrà, si enim per solam mutationè diuini Decreti, posset, humanitas de nouo denominari vnita sine vlla vnione superaddita, posset per eandem decreti mutationem denominari calida ex non calida, & omnes effectus formales qui sunt in rebus possent diuino attribui decreto absque noua forma: Cur enim erit absurdus dicere humanitatem denominari de nouo calidam, quia Deus vult, quàm esse de nouo vnitam Verbo, & esse Deum, quia Deus vult. Deinde implicat vt per solū actum in a manentem intelligatur extra Deum nouus effectus formalis decretum qualecunq; sit purè immans est, ergo per solum decretum non potest intelligi noua hæc denominatio, nisi per decretum applicetur omnipotentia, quæ producat aliquid extra Deum. De vbi & duratione dictum est in Physicis.

Reuocatur.

Respondent secundò, actione hac fieri de nouo compositum quod est Christus, curenim actio quæ Incarnatio est terminari non potest immediatè ad totum illud esse substantiale, quod de nouo est, etiam si nulla entitas alia producat de nouo.

*Secunda
enasis.*

Sed contrà, non potest humanitas esse capax denominationum contradictoriarum per aliquam mutationem quæ sit posterior illis denominationibus sed prius est humanitatem ex non vnita fieri vnitam quàm esse hoc compositum vt per se patet, idè enim est compositum quia humanitas est vnita, cum causalitas partium componentium sit ipsa vnio, ergo humanitas ex non vnita non potest denominari vnita per existentiam compositi. Deinde implicat humanitatem & Verbum esse compositum quod non erat ante, nisi vel humanitas vel Verbum, vel vnio existant de nouo: Verbum non est de nouo, volo humanitatem quæ assumitur extitisse prius, ergo debet esse vnio de nouo. Præterea, vt hæc humanitas faciat vnum compositum cum Verbo potius, quàm aliæ omnes humanitates, debet habere necessariò aliquid quod non habent aliæ, si enim nihil habet quod aliæ non habeant, certè non est magis vnum cum Verbo quàm aliæ, sed illud nõ est sola præsentia ad Verbum, quam sine dubio aliæ omnes habent, nec est excogitabile aliud præter modum vnionis: Si enim dixeris humanitatem hanc esse in Verbo vel connotare intrinsecè Verbum, non autè alias, redit argumentum, vt hæc humanitas sit in Verbo, vel vt connotet intrinsecè Verbum, quod non habent aliæ humanitates, debet habere aliquid intrinsecum, quod reliquæ humanitates non habent, imò debet habere aliquid quod non haberet, si non esset in Verbo, vel si non connotaret Verbum. Dic autem quid habeat præter entitatem realem vnionis. Denique esse in Verbo non est tantum humanitatem esse localiter indistantem à Verbo, ergo est aliquid reale in ipsa humanitate quod vocatur vnio.

*Præterea
dicitur.*

Respondent tertiò, fieri mutationem sufficien-

H 3 tem